

## Jerome's 405 Latin Vulgate

Exodus 20:1-17

- 1 locutus quoque est Dominus cunctos sermones hos
- 2 ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra  
Aegypti de domo servitutis
- 3 non habebis deos alienos coram me
- 4 non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem  
quae est in caelo desuper et quae in terra deorsum nec  
eorum quae sunt in aquis sub terra
- 5 non adorabis ea neque coles ego sum Dominus Deus tuus  
fortis zelotes visitans iniquitatem patrum in filiis in  
tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me
- 6 et faciens misericordiam in milia his qui diligunt me et  
custodiunt praecepta mea
- 7 non adsumes nomen Domini Dei tui in vanum nec enim  
habebit insontem Dominus eum qui adsumpserit nomen  
Domini Dei sui frustra
- 8 memento ut diem sabbati sanctifices
- 9 sex diebus operaberis et facies omnia opera tua
- 10 septimo autem die sabbati Domini Dei tui non facies  
omne opus tu et filius tuus et filia tua servus tuus et  
ancilla tua iumentum tuum et advena qui est intra portas  
tuas
- 11 sex enim diebus fecit Dominus caelum et terram et  
mare et omnia quae in eis sunt et requievit in die septimo  
idcirco benedixit Dominus diei sabbati et sanctificavit  
eum
- 12 honora patrem tuum et matrem tuam ut sis longevus  
super terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi
- 13 non occides

14 non moechaberis

15 non furtum facies

16 non loqueris contra proximum tuum falsum  
testimonium

17 non concupisces domum proximi tui nec desiderabis  
uxorem eius non servum non ancillam non bovem non  
asinum nec omnia quae illius sunt